







1626.

1. Buchen, Johannes : De primariis possessionis retentione
interdictis uti possidetis et ut ubi.
2. Finckelhaus, Sigismundus : De jure sepulturae ad tit. D.
et. C. de relig. et sunt. fun. tit. de sepulch. viol.
cum. h. alio cognatis.
3. Romannus, Franciscus : De fidejussoribus.
4. Schwencken Dorfferus, Georgius Tobias : De juris dictione
mandata.

1627.

1. Hoepffnerus, Heinricus : De vita . . . Balthasaris
Heinrici . . . oratio
2. Schaeferus, Augustinus : De legitimatone per subsequens
matrimonium
3. Schmeck, Wilhelmus : De testamentis

1628.

Baehem, Johannes: De commodato.

1629.

1. Born, Johannes: De rescindenda venditione

2. Finckelhaus, Sigismundus: Decas questionum juridicarum controversarum

3. Romanus, Franciscus: Decas questionum miscellanearum controversarum.

1630.

1. Blumelius, Jacobus: De gradibus cognationum

2. Bohemus, Joannes: De successione legitima

3. Reyher, Andreas: De luna.

4. Romanus, Franciscus: Oratio de legalis scientiae dignitate et praesentia praedictioni Italici ff. de jure dictione praenota.

1631.

1. Baehem, Johannes: Decas questionum juridicarum.

1631.

2. Schmuch, Wilhelmus: De factibus.

1632.

1. Fischer, Salomon: De sanguine.

2. Preibisius, Christophorus: De usu pendi.

3. Romanus, Franciscus: De publicis judiciis.

1633.

1. Bruno, Melchior: De privatis delictis.

2. Welsch, Corpus Archid.: De sententia definitiva.

1634.

Alberti, Johannes: De captivitate seu occupatione
bellica.

1635

Schacherus, Amicus: De sponsionibus.

1814.

1. Johann, Wilhelm, Statistischer Rath in Berlin, 1771-1841

1815.

1. Johann, Wilhelm, Statistischer Rath in Berlin, 1771-1841

2. Friedrich, Wilhelm, Statistischer Rath in Berlin, 1771-1841

3. Johann, Wilhelm, Statistischer Rath in Berlin, 1771-1841

4. Johann, Wilhelm, Statistischer Rath in Berlin, 1771-1841

5. Johann, Wilhelm, Statistischer Rath in Berlin, 1771-1841

6. Johann, Wilhelm, Statistischer Rath in Berlin, 1771-1841

7. Johann, Wilhelm, Statistischer Rath in Berlin, 1771-1841

8. Johann, Wilhelm, Statistischer Rath in Berlin, 1771-1841

9. Johann, Wilhelm, Statistischer Rath in Berlin, 1771-1841

10. Johann, Wilhelm, Statistischer Rath in Berlin, 1771-1841

11. Johann, Wilhelm, Statistischer Rath in Berlin, 1771-1841

12. Johann, Wilhelm, Statistischer Rath in Berlin, 1771-1841

249.

469

XXII.

1626, 3

D. T. O. M. A.
DISPUTATIO JURIDICA

De

FIDEJUSSO- RIBVS.

Quam

Permissu atq; Decreto Amplissimæ & celeberrimæ Facultatis Iuridicæ, quæ est in inclyta Lipsien-
sium Academiâ,

*Pro LICENTIA DOCTORALI,
in utroq; Jure consequenda*

Publicæ disquisitioni subjicit,

FRANCISCUS, FRANCISCI
Jureconsulti & Ordinarij filius, ROMANUS.

*Ad diem 2. Novembris in Auditorio
Jureconsultorum, horis solitis.*

A N N I

M. DC. XXVI.

LIPSIÆ, excudebat GREGOR. Nisch.

3



D. T. O. M. A.
DISPUTATIO JURIDICA

FIDELISSIMO

Petrus Philippus
in Disputatione Juridica
de Rebus et Personis
quibusdam in
Iurisconsultorum
libro de Rebus et Personis
de Rebus et Personis
de Rebus et Personis

PHILIPPUS DOCTOR
JURIS

PHILIPPUS DOCTOR
JURIS

LIPSIÆ, excudebat G. R. N. 1774





Materiam Iuris de FIDELIUS SORIBUS, non
 modò difficilem, sed et-
 jam apprimè utilem, usu-
 frequentem, scituq; ne-
 cessariam esse, nemo est,
 qui nesciat, quare operam me non lusu-
 rum arbitratus, illam sequentibus con-
 clusionibus comprehensam, veritatis in-
 dagandæ gratia, publico examini subij-
 cere volui.

T H E S I S I.

*Describitur Fidejussor, (a) quod sit is, qui
 per stipulationem (b) fidem suam, pro alterius
 (c) obligatione (d) interponendo, absq; nova-
 tione (e) in subsidium (f) obstringitur.*

(a) Dicitur à verbo composito fidejubendo, ut no-
 tat Nicol. Boër. decis. 221. n. 10. vers. sed videtur. & novissi-
 mè Hering. in suo peculiari tract. d. fidejuss. c. 2. n. 11. pro-
 pterea, quod fide suâ propriâ & periculo ipsum jubere
 oporteat l. gracè. 8. pr. ff. d. fidejuss. Creditorem id, quod
 in stipulationem est deductum, salvum rursus acce-
 pturum. l. sicut. 65 ff. d. t. argumento. l. quamvis. 8. §. si mu-
 lier. 2. ff. ad Sctum Vellei. Usurpatur autem vocabulum

Fidejussor is in Jure nostro vel largè, vel strictè: Largè accepto, omnes sub eo comprehenduntur intercedentium species. *l. in persona. 30. §. 1. vers. quod si. ff. d. pact.* Gothofr. in not. ad marg. *l. si quis accepto. 4. ff. d. condict. caus. dat. caus. non sec. lit. 9.* sint sive Expromissores, sive Mandatores, sive deniq; Constitutores, ut refert *Wesemb. in parat. ff. d. t. d. fidejuss. n. 2.* Strictè verò & magis propriè (qualiter & hîc sumitur) saltem pro eo, qui stipulatione interpositâ pro debitore principali fidem suam hoc modo astringit, ut ambo simul, & debitor & Fidejussor, Creditori obligentur, *d. l. quamvis 8. §. si mulier. 2. l. bona. 27. §. fin. ff. d. t. ad Sc̄tum Vellei. auth. presente. C. d. fidejuss. Nov. 4. c. 1.*

(b) Quia fidejussor absq; stipulatione non constituitur. *l. stipulatus. 6. pr. l. gracè. 8. in pr. & passim. ff. d. fidejuss. l. creditori. 2. cum l. seq. l. si pater. 6. l. blanditus. 12. C. eod. l. stipulationum. 5. §. satis acceptio. 2. ff. d. verb. oblig. §. fin. Inst. d. t. d. fidejuss.* in tantum ut nudum pactum, quo fidejussio forsitan facta est, ne quidem coherentiâ contractus vestiatur, inquit *Bl. in l. 3. C. d. rer. permut. quest. 12. per alleg. leg.* Sciendum tamen est, non propterea eam requiri, quasi fidejussio sit stipulatio, sed quod per eam (unde & annumeratur contractui, qui verbis perficitur, hoc est, stipulationi) fiat, & suam formam, quæ dat esse rei, capiat. *d. l. blanditus. 12. & d. §. fin.* Cujus duo sunt requisita principaliora: unum, ut fidejussio tanquam accessorium accedat alteri obligationi principali. *§. fidejussores. 5. Inst. d. t. l. hi qui. 34. ff. eod.* Alterum verò ut fiat (ceu modò dictum) per stipulationem, & sic per verba tantum. *dd. ll. non autem per simplex pactum. d. §. fin. & d. l. gracè 8.* Ad differentiam videlicet Mandatoris, qui solo consensu *l. 7. & absq; verborum solemnitatibus,* literis scilicet potest obli-

obligari. *l. si hereditatem. 32. vers. in summa. l. Creditor. 60. §. 1. ff. mand. l. si ultra. 22. C. d. t. d. fidejuss. l. Lucius. 24. ff. eod.* Et Constitutoris, qui per nudum pactum, seu etiam per literas se pro alio soluturum constituere potest. *l. quidam. 26. ff. d. const. pec. obligatione aliquâ præexistente. l. si duo. 16. §. 1. ff. d. t.*

(c) Nemo etenim pro se ipso fidejussor existere intelligitur. *l. heres à debitore. 21. §. servo 2. ff. d. fidejussor.* sed semper alieno nomine. *l. 1. §. sed aut. 8. ff. d. oblig. & Act. l. & magis. 4. ff. d. solut.* quo respexisse videtur & Coras. dum inquit: alieno nomine, & propter alienam obligationem, sed tamen ex propriâ personâ obligari fidejussorem. *in l. stipulationum. 5. §. satis acceptio. 2. ff. d. verb. oblig.* licet alieno nomine promittit, tamen non minus & ipse promittendi Reus efficitur, aut de semetipso promittit, quàm debitor principalis. *l. potest. 4. §. 1. l. sicut. 65. ff. d. t. d. fidejuss.* In rem verò suam fidejubendo rectè quis principaliter obligatur. *l. de die 8. §. 1. ff. qui satisd. cog.* quia hoc in casu fidejussor pro principali reo accipitur, *l. sed si fidejussor. 24. ff. d. pact.*

(d) Cum enim fidejussio sit accessio principalis obligationis. *§. fidejussores. 5. Inst. d. fidejuss.* Necesse est, ut præsupponatur alia quædam obligatio principalis, à qua sustineatur, sive ea consistat in dando, sive faciendo, sive præstando. *l. obligationum. 3. pr. ff. d. oblig. & Act.*

(e) Quamvis fidejussor obligationem principalis debitoris in se recipiat. *l. si non singuli. 5. C. si cert. pet.* hoc tamen fit absque novatione; ne videlicet prius debitum novatione transferatur in aliam speciem obligationis. *l. 1. ff. d. novat.* ut fieri solet in expromissore dando, qui rectè novandi animo promittit. *l. fin. ff. ad. Sctum. Maced.* & se principalem constituit. hinc etiam est, quod dicit Vult. Expromissor obligatur

519 (1)

A 3;

solus

solus, fidejussor cum alio, ille Reus principalis est, hic accessorius: Expromissorem qui dat, liberatur: fidejussorem verò qui dat, is nihilominus obligatus manet. *in suo cons. ad Inst. d. fidejuss. in pr. n. 5.* Accedit insuper quod novatio prius facta non intelligatur, quam si nominatim contrahentes expresserint, à primà obligatione secessionem se fecisse, novam constituisse, eamq; pro anteriori elegisse. *l. fin. c. d. novat. & del. §. præterea. 3. in fin. Inst. quib. mod. toll. oblig.*

(f) Ad majorem videlicet creditorum securitatem. *per. auth. presente. ibi: in subsidium reservando. c. d. fidejuss. Nov. 4. c. 1.* utpote quorum interest, plures habere obligatos. *l. liberationem. 3. §. fin. in fin. ff. d. lib. leg.* quo ipsis tutius cautum sit, in casum debitoris non solvendo existentis. *§. fin. Inst. d. replicat. pr. Inst. d. fidejuss. l. 1. §. sed aut. 8. ff. d. oblig. & Act.* Nisi fidejussor renuncia-verit beneficio excussionis. *de quo infra.*

I I.

Causa efficiens est consensus persona idonea (a) verbis directis (b) expressus.

(a) Quia non omnibus promiscuè, sed ijs duntaxat fidejubere permissum, qui de Jure efficaciter obligantur & conveniuntur. *l. qui satisfacere. 3. ff. d. fidejuss.* Idonei verò fidejussores non tantùm intelliguntur ex facultatibus, quando videlicet pro rei magnitudine, super quâ adhibentur, satis superq; habeant in bonis. *l. quos non. 234. §. 1. ff. d. verb. sig.* Verum etiam ex conveniendi facilitate. *l. fidejussores. 2. in pr. ff. qui satisfacere. cog. d. l. qui satisfacere. 3.* Cum inutiliter talis fidejussor constitueretur, qui non posset conveniri. *dd. ll. & l. si fidejussor. 7. ff. d. t. d. fidejuss. l. 1. ff. si quis in jus voc. non jerit. ut infra thes. seq. pluribus dicitur.*

(b) Quæ

(b) Quæ propterea requiruntur, ut eò melius constet de animo fidejudentis, quia non nudo, seu tacito consensu, sed expressa voluntate fidejussio perficitur.

Wes. in parat. ff. d. fidejuss. præcedente nim. interrogatione. l. ubi autem. 75. §. qui verò. 6. in fin. ff. de verb. oblig. l. gracè. 8. §. si quis. 8. l. fidejussor. 16. in fin. l. si ita. 42. l. si debitori. 47. §. 1. ff. d. fidejuss. §. 1. Inst. d. verb. oblig. & subsequente congruâ responsione. d. §. 1. & dd. ll. Nec refert quacunq; linguâ fiat, modò fidejussor, debitor, & creditor ejus verum intellectum habent. d. §. 1. & d. l. gracè. 8. l. 1. §. sed etsi. s. cum seq. ff. d. t. d. verb. oblig.

I I I.

Omnes igitur regulariter fidejubendo obligantur, (a) nisi quibus interdictum vel Natura, vel lege.

(a) Azo in summa. C. de fidejuss. Wes. in parat. n. 3. ff. eod. sint sive patresfam. sive filijfam. l. si dubitet. 10. §. 1. vers. filiusf. ff. d. t. l. filiusf. 8. C. eod. l. nulla res. 5. C. quodcum eo, qui in al. pot. est. l. licet. 3. §. si filiusf. 5. §. sed si. 9. ff. d. pecul. Cum filijfam. ex omnibus causis, tanquam patresfam. obligentur & conveniantur. l. filiusf. 39. ff. d. oblig. & Act. l. fin. §. pupillus. 2. ff. d. verb. obligat. Imò etiam Minores curatores habentes, absq; eorum interventu fidejubentes obligantur: 1. Quia ut ait Azo d. loco, omnes personæ fidejubere possunt, quæ & stipulando obligari. jam verò puberes seu Minores sine consensu curatorum suorum ex stipulatu obligari constat, ex l. puberes. 101. ff. d. verb. obligat. 2. Quia curator datur primario rei, §. 2. Inst. d. curat. cujus officium consistit principaliter in administratione & defensione earum, ut ita res defendat atq; tueatur, ne detri-

detrimentum quoddam capiant. *l. sciendum. 20. ff. d. rit. nupt. §. pen. Inst. qui test. tut. dari.* cum igitur obligatio magis personam respiciat, quam ipsam rem. *l. obligationum. 3. pr. ff. d. t. d. oblig. & Act.* Consequens est, nihil impedire, quo minus possint obligari, & ita fidejube. cum & alias omnia ea, quæ personas eorum concernunt, rectè absq; Curatore expediant. *l. obligari. 43. ff. modo d. t.* 3. Quia ipsis succurritur beneficio restitutionis in integrum, si aliquid damni passi sunt ex fidejussione. *l. 1. C. de filios. min. l. si Titius. 48. §. 1. ff. d. t. d. fidejuss. l. ait Prætor. 7. §. non solum. 3. ff. d. minor.* quod nullius esset usus si non suo Marte citra curatorum consensum obligarentur. *t. t. ff. d. t. d. minor.*

I V.

Natura: ut infantibus, (a) furiosis, (b) mente captis, (c) mutis & surdis. (d)

(a) Qui fari non possunt *l. 1. pr. l. mulier. 70. ff. d. verb. obligat.* quia neq; intellectum, neq; consensum habent. *§. pupillus. 9. vers. sed quod Inst. d. inut. stipul.* imò etiam id, quod è rebus propriis est, scire, atq; discernere nequeunt. *l. pupillus. 9. ff. d. acquir. vel mitt. hæred.* sed omnia, ut inquit Faber *pr. Inst. d. auth. tut. n. 1.* pro uno darent pòmo.

(b) Scilicet indefinenter tali morbo laborantibus, absq; dilucidis furoris intervallis, & ut ait Jctus Celsus, qui nullius in conspectu inumbratæ quietis constituti reperiuntur. *in l. quod meo. 18. §. 1. ff. d. acquir. vel mitt. poss. l. Divus Marcus. 14. ff. d. offic. præsid.* quia nullum negotium contrahere possunt, *l. in negotiis. 5. ff. d. R. J.* siquidem non intelligunt, quid agunt. *§. furiosus. 8. Inst. d. inut. stipul.* cum nulla ipsis sit voluntas. *l. furio.*

l. furiosi. 41. ff. d. t. d. R. J. l. qui servum. 47. ff. d. acquir. vel om. hered. voluntate autem carere propterea dicuntur, quia suâ ratione & mente rectè uti non possunt. Furor namq; homini mentem abstrahit, quo minus veram rei substantiam discernere queat. Non sunt præsentis animo. l. fin. in pr. ff. d. verb. sign. sed semper pro absentibus l. ubi non voce. 124. §. 1. ff. d. t. d. R. J. quiescentibus l. si ei. 2. §. furiosus. 3. ff. d. Jur. Codicil. & dormientibus habentur, l. 1. §. furiosus. 3. ff. d. t. d. acquir. vel om. hered. quamvis corpore præsentis sint. d. l. fin. in pr. Non sui esse dicuntur. l. fulcinus. 7. §. adeò. 9. ff. quib. ex caus. in poss. eat. nullus eorum sensus l. si cum dotem. 22. §. si maritus. 7. ff. sol. mat. l. si tibi. 8. §. unius. 2. ff. d. opt. leg. l. emptionem. 2. C. d. contrab. empt. vend. quod cum ita sit, consequens est, furiosos nec fidejuberè, nec contrahere posse. Ad. II. cum etiam alias omne id, quod in furore ab illis actum, absq; voluntate, & adeò inutiliter gestum esse censetur: in tantum, ut licet curator ipsis adsistat, qui consensu suo velit contractum fidejussorium confirmare, tamen pro rato non habeatur; quia ut modò positum, nullus eorum sensus ac voluntas, quod igitur non est atq; deficit, illud suppleri nequit, ne quidem per curatorem, quando scilicet ipsius consensus ad id expetitur. & per vniversas quoq; Juris nostri materias certum indubitatumve est, eos ab omnibus contractibus & actibus arceri. d. l. in negociis. 5. ff. d. R. J.

(c) Quia & hi rebus suis superesse nequeunt. §. sed & mente captis. 4. Inst. d. curat. ob nimiam scilicet temeritatem quâ laborant stultissimi sunt, & quasi furere dicuntur, hinc etiam in nonnullis, eadem ferè de his, quæ de furiosis, in Jure dispositio est. d. §. sed & mente captis. 4. Nov. 72. c. 5. in fin.

B

(d) Per

(d) Per l. 1. §. per. & ult. ff. d. oblig. & Act. l. 1. in pr. ff. d. verb. oblig. l. blanditus. 12. C. d. fidejuss. quod tamen non de balbis, aut surdastris intelligi volumus, sed de ita natis, qui planè neq; fari quicquam, neq; exaudire queunt. d. l. 1. §. fin. §. mutum. 7. Inst. d. inut. stipul. junct. l. mutum. 5. ff. d. acquir. vel om. hered. propterea autem ipsis fidejussio interdicta, quia fidejussio non contrahitur, nisi utroq; loquente. d. l. blanditus. 12. Mutis verò loquela deficit, à quâ fidejussio suam formam accipit. dd. ll. & Surdis auditus, utpote qui non percipiunt, quid ex alterâ parte agitur. Muti autem qui scribere sciunt, seq; per scripturam declarant, ipsos fidem suam ita interponere, ac si verba scripta ore suo pronunciaissent, rectè obligantur, non quidem de Jure civili scripto, sed tantùm de consuetudine, confuso quodammodo quoad effectum stipulationum & pactorum Jure. teste Wes. in §. item inutilis. Inst. de inut. stip. c. 1. ubi Dd. ext. d. pact. quasi sufficiat nostro tempore, si constet de animo & voluntate contrahentium, licet à muto solemnitates verborum non exprimantur, cum & aliàs magis voluntas & mens contrahentium intuenda, & inspicienda, quàm verba. l. juris gent. 7. §. quod ferè. 12. ff. d. pact.

V.

Lege. ut: Impuberibus, (a) Prodigis, (b) Fœminis. (c)

(a) Absq; tutorum suorum autoritate fidejube-
re volentibus. arg. pr. & §. 1. Inst. d. anth. tut. quia ad
ea negocia, ex quibus pupilli aliquod incommodum
sentire queunt, necessariò autoritas & præsentia tu-
torum requiritur. arg. d. pr. & §. 1. §. pupillus, 9. Inst. d.
inut.

inut. stip. Fidejussorium verò contractum tale negocium esse, quod fidejussori plerumq; damno esse solet, patet ex eo vulgari: spondisti præsto noxa est. *Erasm cent. 6. adag. 97.* Hinc refert Valentin. Franc. *in suo tr. d. fidejuss. proleg. n. 6.7. inquitens:* fidejussione plerumq; & quidem ditissimorum enervari, atq; exhauriri patrimonia, delumbari miseros, præcipuas everti familias, opulentos ad voluntariam redigi extremam cum miseriam paupertatem, & prædia avita cum liberorum exitio sub hasta venire, uti & hoc experientia quotidiana testatur. Jure igitur his sine consensu & auctoritate tutorum suorum prohibitum. Interveniens verò approbatione tutorum purè & legitimè facta rectè intercedunt, quia & aliàs omnia tutore auctore agere possunt. *l. in negocijs. 5. ff. d. R. J. argum. l. etsi. 8. l. impuberes. 13. ff. d. auct. & cons. tut.* Hæc q; dicta non de pupillis, qui adhuc infantes & minores septennio sunt accipienda. *juxta l. si infanti. 18. C. d. jur. delib.* quiq; adhuc fari nequeunt. *d. l. in negocijs. 5.* Sed de ijs, qui quod negocij gerunt intelligunt. *arg. d. §. pupillus. 9. Inst. d. inut. stip.*

(b) Qui nempe neq; tempus, neq; finem expensarum habent, sed bona sua dilacerando, & dissipando profundunt. *l. 1. in pr. ff. d. curat. fur. & al. & quibus ob vitium suæ prodigalitatæ administratio bonorum suorum est interdicta. arg. l. pen. §. 1. ff. d. t. 1.* Quia hi dicuntur nullam habere voluntatem. *l. furiosi. 41. ff. d. R. J.* quoties nempe obligantur fictione Juris, ita ut licet sese promittendo obligarint, tamentalis obligatio pro non inita atq; adeò nullius effectus esse censetur. *l. is cui. 6. ff. d. verb. oblig. 2.* Quia nullum ferè negocium rectè gerere possunt, hinc quoq; de illis in quibusdam eadem quæ de furiosis ob-

B 2 serva-

servatio est, & sibi invicem comparantur. *dd. ll.* sed non simpliciter: Prodigium namq; non possunt dici, quod planè omni careant ratione & voluntate sicut furiosi, cum sibi ab altero rectè possint stipulari *d. l. is cui. 6. ff. d. verb. oblig.* licet in quibusdam cum ijs conveniant; sed eatenus tantummodo voluntas eorum nulla esse dicitur, quatenus ut dictum est, obligantur alijs. *d. l. is cui. 6.* & sunt profusores bonorum suorum, ipsisq; ob vitium prodigalitatis administratio eorum est ablata, quod cum ita sit, non immeritò à fidejussione sunt remoti.

(c) *l. si Titius. 48. pr. ff. d. fidejuss.* quia ipsis specialiter est denegatus contractus fidejussionis, in *l. foemina. 2. pr. ff. d. R. J.* Beneficio Senatus consulti Vellejani, quo cautum, ne pro alijs intercedant, ac obligationem alterius in se recipiant. *l. 1. §. t. t. ff. §. C. ad S. C. tum Vellei. l. qui satisfacere. 3. ff. d. t. d. fidejuss.* cum intercedere virile sit officium, à quo foeminae removentur, *l. §. primò. 2. §. 1. ff. d. t. ad S. C. tum Vellei. l. si paternam. 8. C. eod.* propter sexus imbecillitatem, multis captionum generibus suppositam. *d. l. §. primò. 2. §. verba. 2.* & infirmitatem consilij, ob quam plerumq; adversus propria commoda laborare inveniuntur. *l. si pater. 4. C. d. sponsal.* unde apud Priscos Romanos in perpetua agnatorum suorum tutelâ sunt detentæ, cujus rei vestigia extant in *fragm. ll. 12. tabb.* An verò huic beneficio Senatus Consulti Vellejani mulieres possint renunciare? admodum controversatur. Sunt enim qui negant, & contra non desunt, qui affirmant. Puto tamen cum *Andræa Geil, lib. 2. obs. 77. n. 2. 3. §. communiter, Dd. in l. fin. §. pen. C. quando mul. tut. off. fung.* & alijs statuendum esse, Foeminas de hoc suo privilegio prius specialiter edoctas, atque certioratas firmiter renunciare posse.

I. Per:

1. Per *l. ult. §. si mulier. 4. ff. d. t. ad SCtum Vellei.* 2. Per *auth. Matri. & l. fin. C. d. t. quando mul. tut. off. fung. nov. 118. c. 5. l. jubemus. 21. C. d. t.* 3. Quia cuilibet licentia data est, repudiare ea, quæ ipsi in favorem sunt indulta. *l. si quis in conscribendo. 51. C. d. Episc. & Cler. l. pen. C. d. pact.* Hoc verò privilegium pro mulieribus esse introductum constat. *ex l. 1. §. æquum. 2. ibi.* æquum visum est mulieribus ita succurri. item *in l. seq. §. verba. 2. ibi.* quia opem tulit mulieribus propter sexus imbecillitatem. *& §. 3. ibi.* infirmitas etenim foeminarum, non calliditas auxilium demit. *& ferè t. t. ff. ad SCtum Vellei.* Et si ita cum renunciatione fidejusserint, licet postmodum eas poeniteat, fidejussionemq; nollent esse ratam ac firmam, tamen illis ab hoc contractu resilire non permittitur, tum quod talis renuntiatio primò sit voluntatis, postea verò fiat necessitatis. *arg. l. si quis. 5. ff. d. oblig. & Act. l. quamvis. 8. §. si mulier. 10. & l. Paulus. 31. l. fin. §. pen. ff. d. t. ad SCtum Vellei.* tum quod illud, quod semel placuit, amplius displicere nequeat. *c. quod placuit. 21. d. R. J. in 6.* Nisi in continenti animum mutarint, & obligationem revocarint: quia voluntas in continenti mutata, pro voluntate non habetur.

VI.

Materia circa quam Fidejussor versatur, sunt omnis generis obligationes, etiam Naturales, quibus accedere potest.

Per *l. 1. cum seq. l. græce. 8. §. 1. ff. d. fidejuss.* quibuscunq; modis vel jure initæ, seu ut ait Imp. Just. sive re, sive verbis, sive literis, sive consensu, iis fidejussorem adsumi posse, sive naturalis tantum, sive civilis, sive

B. 3,

utroq;

utroq; jure subsistunt in §. 1. Inst. d. fidejuss. l. quod enim
7. l. fidejussor. 16. ff. eod. non tantum principalibus, ve-
rum etiam accessoriis. d. l. gracè. 8. §. fin. Dummodo
1. tales contractus & obligationes non sint contra bo-
nos mores. l. qui contra. 11. cum l. seq. ff. d. t. cum ea,
quæ contra bonos mores sunt, nec facere nos posse
credendum. l. filius. 15. ff. d. condit. Inst. & Mandatum
rei inhonestæ vel turpis nullum sit. l. si remuneran-
di. 6. §. rei turpis. 3. ff. mand. aut 2. factu impossibiles.
quia rerum seu factorum impossibilium nulla potest
esse obligatio. l. impossibile. 185. ff. d. R. J. cum enim
obligationum substantia in eo consistat, ut vel alte-
rum nobis obstringat ad aliquid vel dandum vel præ-
standum vel faciendum. l. obligationum. 3. pr. ff. de ob-
lig. & Act. facile apparet, ejus quod neq; dari, neq;
præstari potest, nullam fieri posse obligationem, sive
id naturâ sit impossibile, sive lege, sive moribus. l. cum
prætor. 12. §. non autem. 2. ff. d. jud. l. ubi pugnantia. 188.
§. 1. ff. d. R. J. l. conditiones 14. cum seq. ff. d. cond. & dem.
l. jurisgent. 7. §. si ob maleficium. 3. & §. & generaliter. 16.
l. si unus. 27. §. pacta. 4. ff. d. pact. l. non dubium. 5. C. d.
leg. d. l. qui contra. 11. l. cum lex. 46. ff. d. fidejuss. Vel 3. ob-
ligationes sint finitæ. l. si quis. 37. l. si debitori. 47. ff. d.
t. d. fidejuss. quia hisce in casibus principales, non te-
nentur, cur igitur accessores seu fidejussores, cum ta-
men aliàs semper requiratur alterius principalis nem-
pe obligationem vel subesse, vel futuram esse, ut fide-
jussio in suis viribus persistat, siquidem ejus rei, quæ
non est, nulla potest esse accessio. vel 4. sit causa cri-
minalis, ubi reus criminis poenâ capitali veniat ple-
ctendus, per textum expressum in l. Divus. 3. ibi. nisi
tam grave scelus eum commisisse constat, ut neq; fide-
jussoribus, neq; militibus committi debeat. ff. d.
custod.

custod. & exhib. reor. quia hoc permissu Reo causa præberetur, salutem sibi fugâ quærendi, & executionem pœnæ evitandi, quàmprimùm animadverteret, ipsum latâ sententiâ ad pœnam corporalem damnatum esse, quo facto, iudicium efficeretur elusorium, & ita delicta manerent impunita *contra l. si à reo. 70. §. fin. ff. d. fidejuss.* Accedit 2. & hæc ratio, quod nemo se possit obligare ad pœnam corporis, cum nemo sit membrorum suorum dominus, nedum vitæ. *l. liber homo. 13. in pr. ff. ad L. Aquil.* hinc etiam verissimè Lucretius lib. 3. dixit:

Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus usu.
3. quia & loco alterius talem pœnam nemo sustinere potest, cum pœnæ suos semper teneant autores. *l. sancimus. 22. C. d. pœn. l. 1. §. si apud. 18. ff. depos.* Secus est, si pœnâ quadam pecuniaria reus venit afficiendus. *per d. l. Divus. 3. ff. d. cust. & exhib. reor. l. græcè. 8. §. sed etsi. l. si quis pro eo. 56. §. fin. l. si à reo. 70. §. fin. ff. d. fidejuss. l. eos qui. 6. §. super his. 3. l. minimè; 12. C. de appellat.* cum parum intersit quisnam huic pœnæ satisfaciât, fidejussor an ipse Reus. *arg. l. solutione. 23. l. solvere. 53. ff. d. solut. & lib. atq; ita meritò à carcere dimittendus dato fidejussore, præsertim tunc, quando nondum constat, an maleficium perpetraverit. l. 1. 4. ff. d. t. d. custod. & exhib. reor. d. l. si quis pro eo. 56. §. fin. d. l. eos. 6. d. §. super bis.*

VII.

Pro dote tamen, conservanda & restituenda maritus fidejussorem dare non cogendus.

Per rationem, ne videlicet suspicio cujusdam perfidi-

perfidia in connubio generetur. *t. t. C. ne fidejuss. dot. dent.* quod sanè facile contingeret, si maritus deprehenderet conjugem fidei ipsius diffidere, cui tamen se corpusq; *l. asiduis. 12. pr. C. qui pot. in pign. & omnia sua bona commisit. l. hac leg. 8. C. de pact. convent.* & conjugia alias non cautionibus, sed mutuo amore constare debent. *Myns. ad §. 1. Instit. d. fidejuss.* Aliud verò statuendum eo in casu, quando manifestè & oculariter deprehenditur maritum bona sua dissipando ad notoriam vergere inopiam, ubi rectè ad offerendum idoneum fidejussorem compelli potest. quia tunc Reipub. interest, mulieres dotes suas habere salvas. *l. Reipubl. 2. ff. d. jur. dot. l. 1. ff. sol. matrim. c. per vestras. extr. d. donat. int. vir. & uxor.*

VIII.

Sed quid si Maritus ultro fidejussorem dotis constitueret, an etiam talis efficaciter teneretur? queritur.

Eum rectè obligari existimo: 1. quia in omnibus obligationibus fidejussores adsumi possunt. *§. 1. Inst. d. fidejuss. l. 1. l. græcè 8. §. 1. & passim. ff. eod.* nec ulla in lege hoc expressè prohibitum reperitur. 2. quia lex 2. *C. ne fidejuss. dot. dent.* loquitur tantum de invito Marito, ne ab eo fidejussor pro dote exigatur, non verò de volente. 3. accedit & hæc ratio, quod pignus à marito pro dote uxori dari possit. *l. quod autem. 7. §. si. uxor. 6. ff. d. donat. int. vir. & uxor.*

IX.

Forma Fidejussionis (secundum rigorem Juris) sita est in solemnitate stipulationis (a)
& non

Et non tantum fieri potest pure, ex die, Et sub condicione, (b) verum etiam ad certum tempus, Et ex certo tempore. (c)

(a) Per l. stipulationum. 5. §. satis acceptio. 2. Et ibi Jaf. ff. d. verb. oblig. l. blanditus. 12. C. d. fidejuss. l. gracè. 8. ff. eod. l. si hereditatem. 32. ibi. presens quis interrogatus fidejubeat. ff. mand. (prout pluribus monstratum supra 6. 1. lit. b.) ex quibus etiam consequitur, non nisi inter presentes contractum fidejussorium celebrari posse. l. 1. pr. Et §. 1. ff. d. t. d. verb. oblig. l. ut inter 3. C. d. inut. stip. §. item verborum. 11. Inst. eod. Verum hodie no tempore inter absentes per epistolam, stipulationum solemnitatibus, usu quasi desuetis etiam fieri posse, refert Costal. ad l. 7. §. fin. ff. d. dol. mal. Non de Jure civili, sed de consuetudine, quâ recessum quodammodo à Jure Romano, ut perinde validæ censeantur tales fidejussiones, ac si interrogatione antecedente, promissio sit subsecuta. Sed an sola alicujus affirmatio vel commendatio, quod aliquis sit idoneus & locuples, v.g. si in vernacula dicatur, **der Man ist gut** / & fortè ex hoc alius cum eo contraxit, statim fidejussionem inducat? Negat. arg. l. Et eleganter. 7. §. fin. ff. d. dol. mal. Excipe tamen casum, in l. cum ostendimus. 4. §. fin. ff. d. fidejuss. tut. in quo rectè quis ob id, quod affirmaverit idoneum quem esse tutorem, fidejussorum vice tenetur, propter favorem scilicet pupilli. Idem etiam observari inter mercatores, ut posita verba etiam apud illos fidejussionem importent, quotidiana experientia testatur. Gomez. 2. var. resol. 13. n. 5.

(b) L. stipulationum. 5. §. 1. l. gracè. 8. §. illud commune. 7.

C

ne. 7.

ne. 7. l. fidejussor. 16. §. stipulatione. 5. l. heres. 21. §. 1. l. si plus.
res. 27. in pr. l. si à reo 70. pr. & §. 1. & l. pen. & passim. ff.
d. fidejuss. §. fidejussores. 5. Inst. eod. dummodo condi-
cio non sit impossibilis. l. si sub impossibili. 29. ff. d. t. quæ
& alias contractibus & obligationibus adjecta, eas vi-
tiare solet. §. si impossibilis. 10. Inst. d. inut. stip. l. non so-
lum. 31. ff. d. oblig. & Act. seu si principalis sub condi-
cione esset obligatus, fidejussor autem purè datus, hoc
in casu fidejussor purè obligatus esse non potest. d. §. fi-
dejussores 5. quia obligatio fidejussoris, durior principa-
li esse nequit. d. l. græcè. 8. d. §. illud commune. 7. cum
plus sit purè obligari, quam sub condicione.

(c) dd. ll. l. obligationum. 44. §. 1. ff. d. oblig. & Act.
l. si fidejussor. 27. cum l. fin. C. d. fidejuss. per rationem;
quia & verborum obligatio, cui fidejussio annumeratur,
tempus recipit, l. eum qui. 41. ff. d. verb. oblig.

X.

*In plus autem fidejussor, quàm debet reus
principalis, obligari nequit, in minus verò
omnino.*

Quia id ipsum tantummodo persolvere tenetur,
quod debet ipse, pro quo fidejussit. §. fidejussores 5. Inst.
d. fidejuss. cum ipsius obligatio sit accessio ad princi-
palem, jam autem plus in accessione, quàm in re
principalis esse nequit. d. §. fidejussores. 5. l. græcè. 8. §. il-
lud commune, cum seq. l. hi qui. 34. l. si ita. 42. ff. d. fidejuss.
Accessorium enim sequitur naturam sui principalis.
l. nihil. 129. §. 1. ff. d. R. J. c. accessorium. 43. eod. in 6. & ac-
cessorium non potest esse majus principali. l. justissi-
mè. §. 1. ff. d. edil. edict. l. in emptione. §. 1. & ibi glossa in
verbo

verbo accessio ff. d. contrab. empt. Plus porrò non so-
 lum ex ratione ipsius rei, vel summæ debitæ, §. *si quis*
agens. 33. Inst. d. act. v. g. si debitor in pecunia obliga-
 tus esset, fidejussor in alia re, veluti triticum minimè
 obligatur, posset enim triticum charius esse, cum ejus
 precium semper secundum annonam soleat æstima-
 ri. *arg. l. precia. 63. ff. ad L. Falc.* Sed etiam ex Tem-
 pore, veluti si ante diem, vel conditionem existentem
 petat. *d. §. fidejussores. 5. d. loc. l. fidejussor. 16. §. 1. Et ibi*
glossa lit. P. ubi notatur: levius eum obligari, qui obli-
 gatur purè, hoc est absq; mentione loci, (quia tunc
 penes debitorè stat, locum solutionis suo arbitrio eli-
 gere. Locus igitur plerumq; adijcitur pro creditore.
ut extat in l. qui Romæ. 122. pr. ff. d. verb. oblig.) quàm qui
 ad certum locum astringitur. *ff. d. fidejuss.* quia tunc
 nullo in loco alio, quàm in quo promisit, solvere invito
 stipulatore potest. *l. is qui. 4. ff. d. eo quod cert. loc. dar.*
oport. vel deniq; causà æstimatur. *prout hoc pluribus*
explicatur in d. §. si quis agens. 33. Sed quid si fidejussor
 sese in majorem summam obligaverit, quàm in prin-
 cipali continetur, (ut puta si debitor esset obstrictus
 creditori in quinq;, fidejussor autem in decem acce-
 ptus) an tota obligatio fidejussoria efficitur inutilis,
 an verò in quinq; sit valida? Et licet nonnulli reperi-
 untur, statuentes cum Accursio totam fidejussionem
 esse inutilem; puto tamen veriore sententiam, ex-
 istimantium, obligationem hanc non in totum inva-
 lidam, sed quoad eam summam in principali dedu-
 ctam valere: idq; *l. propter textum l. 1. §. si stipulan-*
ti. 4. ff. d. verb. oblig. ibi: si stipulanti mihi decem, tu
 viginti respondeas, non esse contractam obligatio-
 nem, nisi in decem constat. ex quibus verbis manife-

stissimè apparet, stipulationem in decem, atq; adeò
in minorem summam valere. Per rationem ibi as-
signatam: quia nempe summa minor majori inest.
Ergo idem quoq; de fidejussione dicendum: quia &
fidejussio per stipulationem contrahitur. *ut supra tb. 1.
lit. b. & tb. 9. est demonstratum. II. per l. rogatus. 33. ff.
mand. ubi fidejussor potest convenire principalem a-
ctione mandati, ratione minoris, & concurrentis
summæ. III. per l. hactenus. 11. in fin. cum ll. seqq. ff. d.
const. pec. l. si tibi. 17. pr. ff. d. pact. in quibus textibus
quasi pro regula ponitur, quod quando plus promif-
sum est, quàm promitti oportuit, non totam obliga-
tionem, ob id infirmari & annullari, sed illud tantum
quod non debetur, per rationem, ne videlicet utile
per inutile vitietur.*

XI.

*Ex mora debitoris principalis, obliga-
tio fidejussoris non augetur.*

Per textum expressum *in l. centum Capua. 8. ff. d.
eo quod cert. loc. ibi. nec oportebit, quod fortè per
Reum steterit, quominus tota centum Capuæ solve-
rentur obligationem fidejussoris augeri. Rationes
verò cur fidejussori plerumq; mora Rei principalis
nociva esse nequeat, hæ sunt. 1. quia fidejussor (*ut su-
pra dictum*) constituitur per stipulationem, quæ stri-
cti Juris conventionibus annumeratur, in quibus ne-
mo ultra id, quàm quod nominatim ab initio con-
tractus est expressum, obligatur. *l. fidejussores. 68. §. 1.
& l. fin. ff. d. fidejuss. l. quicquid. 99. ff. d. verb. obligat. l.
si mandator. 8. C. quod cum eo qui in al. potest. 2. quia*
cum*

cum effectus contractus, semper se referat ad tempus contractæ obligationis. *arg. l. Rutilia. 69. ff. d. contrab. emp.* non præsumitur fidejussor simpliciter acceptus, sese in aliud obligasse, quàm tempore intercessionis debebatur. *l. per retentionem. 4. C. d. usur. l. contractus. 23. ff. d. R. J. C. contractus. eod. in 6. 3.* quia unicuiq; sua mora, non alteri nocere debet. *l. in condemnatione. 173. §. unicuiq;. 2. ff. d. R. J.* Mora enim culpæ annumeratur, culpa verò est facti, factum autem cuiq; suum nocivum, non aliis. *l. factum. 155. pr. ff. d. jam tit. 4.* ne fidejussor quando in maiorem summam condemnatur, poenâ quasi afficiatur. *l. fin. ff. d. fidejuss. l. ult. ff. quod cert. loco. l. libertus 17. in fin. ff. ad Municipal. 5.* deniq; quia qui pro alio pecuniam exsolvit, plerumq; fortis tantum damnum agnoscit. *l. quero. 54. ff. locat.* Et hoc ita verum, nisi quis in omnem causam fidejusserit, quo in casu, & rectè ad interesse ob moram Rei principalis tenetur, & convenitur. *l. fidejussor. 10. C. d. fidejuss. l. fidejussores. 68. §. 1. ff. eod. l. non utiq;. 2. §. pen. ff. d. admin. rer. ad. civ. pert.*

XII.

Finis fidejussoria obligationis est, ut creditoribus diligentius cautum sit, de consequendis iis, quæ ipsis debentur.

Per pr. Inst. de fidejuss. §. fin. Inst. d. Repli. l. 1. §. sed aut. 8. ff. de oblig. & Act. hinc non ineptè dicit *Wes. in parat. ff. d. fidejuss. n. 4.* fidejussionem nihil aliud esse, quàm securitatem solutionis. *per l. 1. ff. qui satisd. cog. arg. l. 1. §. jubet. 9. ff. de collat.* & quamvis primo intuitu ad utilitatem principalis debitoris (cui aliàs forsi-

tan non esset creditum) fidejussio tendere videatur,
attamen ex consequenti fit in favorem creditoris, ut-
pote qui datione fidejussoris securior redditur, &
quodammodo satis accipit, ut pluribus delectat Carol.
Molin. in conf. Paries. tit. 1. §. 13. gl. 9. n. 1. 2. Socin. in conf.
23. n. 25. 26. vol. 2.

XIII.

*Effectus fidejussionis primus est, quod
non tantum fidejussor obligetur; verum etiam
hæredes suos post mortem relinquat obli-
gatos.*

§. fidejussores. 2. Inst. d. fidejuss. l. fidejussores. 24. C.
cod. l. potest. 4. §. 1. ff. ibid. arg. l. si tibi. 8. C. mand. l. ve-
teres. 13. C. d. contrah. & com. stip. ex natura scilicet o-
mnium obligationum conventionalium. l. ex depositi.
12. l. ex contractibus. 49. ff. d. oblig. & Act. quia defun-
ctus & hæredes pro unâ & eadem reputantur persona,
dum ejusdem potestatis Jurisve sunt, cujus fuit de-
functus. l. hæredem. 59. ff. d. R. J. & ejus personam re-
presentant. d. l. potest. 4. §. 1. Hinc rectè dicuntur suc-
cessores in universum jus defuncti. l. hereditas. 62. ff.
d. t. d. R. J. l. nihil est. 24. ff. d. verb. sign. unde & omnes
contractus à defuncto initos eos adimplere oportet,
& vice versa, quicquid defuncto debetur ex contracti-
bus cum aliis celebratis, illud omnino est persolven-
dum hæredibus, sunt namq; hæc & hujusmodi alia
Juris, juxta definitionem obligationis, qua extat in pr. Inst.
de obligat. & t. Inst. d. reb. corpp. & incorpp. neq; etiã
condicio obligationis ex personâ hæredis mutari po-
test.

test. *l. stipulationum. 2. §. ex his igitur. 2. ff. de verb. oblig.*
l. totiens. 6. pr. ff. d. pollicitat. quod cum ita sit, me-
 ritò etiàm hæredes post mortem defuncti, ob initam
 ab eo fidejussionem tenentur, licet in eo contractu
 nulla mentio hæredum facta sit, *l. veteres. 13. C. d. con-*
trah. & com. stipp. idem etiàm decernitur de Jure Saxo-
 nico *in const. Elector. 20. pact. 1. ibi.* Die Bürgeschaffe
 verbindet ipso Jure der Bürgen Erben / ob gleich derer
 in der Verschreibung nicht gedacht. Excipiuntur tamen
 certi casus, in quibus hæredes fidejussorum non obli-
 gantur, ut 1. quando consuetudo loci, quæ optima
 legum interpretis est *l. si de interpretatione. 37. in fin. ff. d.*
leg. reperitur in contrarium; cum enim in toto Jure
 nostro specialia derogent generalibus. *l. in toto. 80. ff.*
d. R. 7. hinc quoq; lex specialis, seu statutum loci vel
 consuetudo meritò derogat & juri communi, id quod
 etiàm innuit Jus Saxon. *d. loco his verbis:* Jedoch sol in
 allen fall / die gewohnheit sonderlich in achtung gehabt / vnd
 nach derselben versprochen werden. 2. Si expressè in in-
 strumento cautum sit, fidejussionem ad hæredes non
 transiuram, sed debitorem principalem loco fidejuf-
 foris mortui creditori alium idoneum constituturum,
 quo sanè in casu ex destinata mente creditoris
 tanquam obligatio personalis ad hæredes non transit,
 sed tacitè præsumitur, illam solummodo ad vitam
 fidejussoris valere, & simul cum eo expirare. *arg. §. at*
si ita: in verb. quod ad vitam. Inst. d. verb. oblig. l. pen. ff.
d. fidejuss. iterum Jus Saxon. *d. loco. ibi.* Wenn aber
 einer in Verschreibung außdrücklichen abgehandelt / das
 an statt des Bürgen so verstarbe / der Schuldman dem
 gleubiger einen andern Bürgen sehen solte / disfalls ist
 die

die obligation fidejussoris allein personalis, vnd bindet/des absterbenden Bürgen Erben nicht.

XIV.

Secundus effectus est, ut si plures fidejussores dati sint, omnes ipso jure in solidum teneantur. (a) Nisi ex epistola Divi Adriani obligatio inter fidejussores sit divisa. (b)

(a) Dummodò expressè in solidum sese obligaverint *auth. hoc ita. C. d. duob. reis promitt. Nov. 99. c. un.* Quo tamen casu rursus distinguendum erit, utrum omnes sint solvendo nec ne. Ut si omnes; tunc nihil in executione pro parte singuli; sin minus, & alter non sit solvendo, tunc qui est solvendo; solidum exsolvat: *d. auth. hoc ita. d. Nov. 99. c. 1. & ibi. gl. Br. Cujac. ad d. t. C. d. duob. reis. in com. post Ant. Fab. lib. 11. conject. c. 4.* An autem fidejussores beneficio Excussionis seu ordinis uti possint? ita ut non prius à creditore conveniendi sint quàm principalis debitor sit excussus. Et licet Jure veteri Creditori potestas etiàm ante principalem Reum conveniendi fidejussores, attributa fuerit, pro ut videre est *in l. creditori. 2. ubi Donell. & l. seq. 3. l. jure nostro. 5. l. liberum. 16. l. sicut. 21. l. Reos principales. 23. C. d. fidejuss. & passim.* Jure tamen Novissimo ante debitorem principalem conveniri nequeunt. *auth. presente. C. d. t. Nov. 4. c. 1.* quia ut in definitione positum, eorum obligatio saltem in subsidium adjicitur. Excipiuntur tamen nonnulli casus, in quibus isthoc beneficio gaudere nequeunt, ut 1. si expressè & specialiter,

cialiter huic beneficio renunciaverint, *arg. l. si quis. 51. C. d. Episc. & Cler. l. pen. C. d. pact.* II. Si Reus principalis absens, puta extra territorium sit. *d. nov. 4. c. 1.* per rationem ibi assignatam: quia acerbum esset, dum debitor principalis abesset, fidejussor verò adesset, creditorem aliò mittere, cum tamen mox posset fidejussorem exigere. Fidejussori tamen desideranti, certum tempus concedendum, intra quod ipsum principalem in iudicium deducat, aut eo elapso, ipse teneatur. *d. auth. presente.* III. Si quis se ut principalem obligaverit, seu expromiserit, quia si talis fidejussor ante principalem non posset conveniri, tunc sequeretur, hanc constitutionem esse nullius momenti, & tanquam superfluū contractui appositā, nihil quicquam operari: imò non differret Expromissor à fidejussore propriè sic dicto, quod est absurdum. IV. si pater pro filio fidejusserit. *l. deniq. 3. §. sed utrum. 4. ff. d. min. l. si mandator. 8. C. quod cum eo qui in al. pot.* ne videlicet per hoc creditores defraudarentur, *ut notat Br. in l. si servum. §. an filius. ff. d. verb. oblig.* si verò Pater pro filio fidem suam non interposuit, ultra vires peculij ex contractu filij non tenetur. *l. licet. 3. §. idem scribit. 11. ff. d. pecul. gl. in d. l. non rectè. 3. C. d. fidejuss. lit. 1. ubi plures referuntur exceptiones.*

(b) *d. §. si plures. 4. Inst. d. fidejuss. l. inter fidejussores. 26. & l. seq. §. 1. ff. eod.* Est namq; hæc exceptio à Jure rigido per Imperatorem Adrianum suâ epistolâ introducta, quæ & aliàs beneficium divisionis vocatur, *ut notat Gædd. d. contrab. & com. stip. c. 9. n. 106.* quâ ritè facta, nullus postmodum confidejssorum ultra suam virilem portionem condemnatur, *dd. ll. & l. inter eos. 51. in pr. ff. d. t.* Si modò isti confidejssores pro uno debi-

D

tore,

tore, non verò pro pluribus, item pro unâ eademq; pecuniâ summâ intercesserint, ut notant Dd. in l. si à Titio. 43. ff. eod. & litis contestatæ tempore omnes solvendo fuerint. dd. ll. & l. fidejussores. 3. C. eod. aliàs enim coguntur reliqui portionem non solvendo existentis confidejssoris contribuendo persolvere. l. si Titius. 48. ff. d. t. d. fidejuss. l. non rectè. 3. C. eod.

XV.

Tertius deniq; effectus est, quod fidejussores possint illud, quod pro debitore principali solverint, repetere actione mandati.

Fidejussores etenim ejus recuperandi causa, quod pro debitore solverint, habent Mandati cum eo actionem. §. si quid. 6. Inst. d. fidejuss. l. potest. 4. pr. ff. eod. l. Mandati. 14. C. eod. §. fin. Inst. d. Replicat. l. si remunerandi. 6. §. si passus. 2. l. idemq;. 10. §. fidejussores. 11. ff. mand. ne dum scientes & lubentes solo liberalitatis intuitu pro principali fidejusserint & solverint, ipsis officium præstitum esset damnosum, contra l. sed si quis. 7. ff. quemad. test. aper. l. si servus. 61. §. quod verò. 5. ff. d. furt. c. pervenit. extr. d. fidejuss.

XVI.

Tollitur obligatio fidejssoris, varijsmodis: ut: vel 1. Solutione ejus quod debetur. (a) 2. Novatione. (b) 3. successione facta principali debitori. (c) 4. Acceptilatione. (d) 5. præscriptione. (e)

(a) l. in omnibus. 43. l. solutam. 49. ff. d. sol. & lib. quia.

quia per solutionem omnis extinguitur obligatio. *pr Inst. quib. mod. toll. oblig.* Solutionis vocabulo videlicet in propria significatione accepto, quæ fit re ipsa. *d. pr. quæq;* naturalis liberatio ab obligatione appellatur *in l. fin. C. ad exhib. d. l. solutam. 49. l. si se. 4. §. pen. ff. d. rejud.* Nec refert, utrum ipse principalis, an fidejussor, an alius verò eorum nomine solvit. sufficit enim si exsolvatur, quod debetur. *d. pr.*

(b) *Per l. novatione. 4. Cod. d. fidejuss. l. ubicunq;. 60. ff. eod.* quia & novatione tolluntur obligationes. *§. praterea. 3. Inst. quib. mod. toll. oblig.* cum solutioni sit similis. *l. si rem. 31. §. 1. ff. d. novat.* Nisi in sequenti fidejussor se obligaverit, *uti extat in d. l. novatione. 4.*

(c) Utpote si fidejussor Reo, vel Reus fidejussori succedit, rectè solvitur accessoria, seu fidejussoria obligatio, salvâ manente principali. *Per l. stichum. 95. §. quod vulgo. 3. l. si duo. 93. §. sed et si. 2. ff. d. solut. l. generaliter. 5. pr. l. cum Reus. 14. ff. d. fidejuss. l. fidejussoris. 24. C. eod. & passim.* & tunc hoc in casu non tenetur ut fidejussor, sed ut hæres. *dd. ll.* quia videlicet principale absorbet accessorium, & impossibile est, unum eundemq; & fidejussorem & principalem simul existere. Cur autem accessorium per principale extinguatur: ratio ponitur à Dd. hæc: quod quando duæ concurrunt qualitates incompatibiles simul in aliquo actu, potentior atq; plenior infirmiori prævalet. *arg. l. quod habet. 3. ff. d. tut. l. fundo. 4. ff. ad L. Falc.* quia adveniente fortiori, infirmior cedere cogitur. *Pet. d. Bella. Pert. in l. generaliter. 5. n. 2. d. fidejuss.* Potentior autem hic est principalis quàm accessor. *d. l. generaliter. 5. vers. nec enim.* quod tamen hunc sensum habet, quando utraq;

D 2. obli-



obligatio firma est, atq; efficax, vel saltem principalis.
ut notat Br. in modo allegata lege.

(d) *Per. l. ex pluribus. 89. ff. de solut. l. pen. ff. d. fidejuss. l. § per. 13. §. sed si. 7. ff. d. acceptil.* quæ tamen Acceptilatio potius est liberatio debitoris; quàm solutio debiti: quia fictione constat unde etiàm imaginaria solutio *in §. 1. Inst. quib. mod. toll. oblig.* appellatur, cum sit ex parte creditoris nihil aliud, quàm confessio debiti non accepti, quasi acceptum fuerit: hinc acceptum ferre, referre, habere, hoc est, accepto aliquem liberari, fateri, sibi solutum esse, licet non sit. *dd. ll. § l. tali. 48. §. 1. ff. d. Jur. dot.*

(e) *l. receptitia. 2. C. d. const. pec. l. sicut in rem. 3. cum l. seq. C. d. præscript. 30. vel. 40. an.* quando nempe utraq; obligatio & principalis & fidejussoris simul & eodem tempore fuit lata quia tunc præscripta obligatione principali, intelligitur & præscripta actio fidejussoris. *arg. l. nihil dolo. 129. §. 1. ff. d. R. J. Secus verò est, si fidejussor ex postfacto fuerit acceptus, ubi tanquam per agnitionem debiti interruptio facta præsumitur. per. l. cum notissimi. 7. §. imò § illud. 5. C.*

d. t. d. præscript. 30. vel 40. an. Atq; hæc
ita de proposita materia sufficiant.

**DEO SIT LAUS
ET GLORIA.**




ULB Halle
006 682 146

3



KD77







B.I.G.

Farbkarte #13

M. A.
URIDICA

1626, 3

409
XXVII.

SSO.

S.

eto Amplissis

acultatis Iuri-

lyta Lipsien-

niâ,

DOCTORALI,

sequenda

oni subjicit,

FRANCISCI

filius, ROMANUS.

is in Auditorio

oris solitis.

I

XXVI.

REGOR. Nisch.

3/2

3

55.

